



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Vtrum Deus possit remittere peccatum pro tempore quo
committitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

tionem Dei sine vlla retractatione fieri potest homo ex non contrito æquivalenter contritus.

Objicitur 3. Quamdiu homo est maculatus, tamdiu adhuc habet peccatum: sed quamdiu non retractat, tamdiu est maculatus: ergo quamdiu non retractat, tamdiu habet peccatum. Minor probatur. Quamdiu homo est habitualiter aversus à regula conscientia, nempe à recta ratione, & à lege naturæ, tamdiu est maculatus: sed quamdiu non retractat peccatum, manet habitualiter aversus à regula conscientia: ergo tamdiu est maculatus. R. negando minorem. ad probationem nego maiorem. Nam *id esse habitualiter aversum*, à regula rationis, aliud non est, vt diximus, quàm probabilitas, quòd si redirent eadem circumstantia, iterum averteretur: adeoque est tantum peccatum sub conditione probabiliter futurum: peccatum autem sub conditione futurum non est macula de presenti, vt constat.

Objicit P. Amicus 4. Tridentinum *Seff. 6. c. 7.* dicit, Justificationem adulti fieri per voluntariam susceptionem Gratia: receptio Gratia non voluntaria, erit insufficiens ad justificationem. Confirmatur. Quia peccatum etiam habituale intelligitur tale per dependentiam & respectum quendam dependentia libera & voluntaria ejusdem peccati à voluntate peccatoris: hujusmodi autem respectus dependentia voluntaria peccati à voluntate peccatoris, non potest tolli per vllam formam, nisi sit voluntaria ipsi peccatori, vt retractet & delet dependentiam peccati à voluntate tanquam forma contraria similiter voluntaria. R. Concilium loqui de justificatione prout defacto fit, quatenus in illa Deus attendit etiam mensuram dispositionis pravia, cui tamen mensura nemo facile dixerit Deum esse indispensabiliter alligatum. Ad Confirmationem patet responsio ex paulò antè dictis, nempe, confundi, *id Habitualemente*, & *Habitualiter voluntarium*. & quomodo nimium probet, patet ex responsione ad primam objectionem.

Objicitur 5. Si Deus potest sine vlla retractatione condonare peccatum habituale, poterit etiam condonare peccatum actuale pro tempore quo actu fit: consequens est absurdum, quia sic homo esset simul peccator & justus, quia condonatio est forma constituens hominem justum saltem negativè, hoc est, non injustum, peccatum actuale est forma constituens injustum.

Card. de Lugo d. 7. s. 8. n. 126. respondet, sibi verisimilem esse sequelam. Vnde infert 1. quòd dum ponitur peccatum, Deus quidem odio haberet peccatum, non tamen ipsum peccantem, quia jam cessisset jure suo. Infert 2. quòd tunc Petrus per tale peccatum amitteret nihilominus gratiam, ideo, quia, juxta hunc auctorem, gratia nec divinitus est conjungibilis cum peccato. Non esset tamen inimicus Dei, licet esset peccator, adeoque esset simul peccator, & negativè justus, hoc est, non odibilis proximè, quia peccatum esset condonatum.

Hæc doctrina semper mihi summe diffusa est visa, tum quoad ipsam substantiam, tum quoad doctrinæ consequentiam, quam videtur hic auctor deferere, quod adverti alibi, nunc vero idem advertisse video Card. Pallavicinum de Permitt. cul. & patebit paulò post.

Quod attinet ad Objectionem præfentem, responsio est facilis, negatur enim sequela de peccatis: Disparitas insinuat in ipsa objectione. Peccatum actuale præfens, est forma adæquate rebus hominem injustum: ergo mirum non est, quod non possit stare cum forma adæquate, scilicet negativè justum, hoc est, non injustum, alioquin simul esset forma & negatio. At vero peccatum habituale includit vltra peccatum præfens etiam negationem condonationis de præfenti: hæc negatio est pars formæ denominantis habitualiter injustum: atqui per condonationem tollitur formaliter negatio condonationis: ergo tollitur pars constitutiva peccati habitualis, & forma denominantis injustum: ergo desinit hominem injustum, & fit negativè justus: ergo in hoc casu non conjunguntur formæ oppositæ, licet in tali priorè. Sed nunc de veritate consequentis videamus.

CONTROVERSIA III.

Utrum Deus possit remittere peccatum pro tempore quo committitur.

923. Post Lugonem affirmavit Ripaldà *et. de ente supernaturali disp. vlt. scilicet 37. n. 40.* quos nuper secutus est R. Hispanus. Negativum defendit Suarez *lib. 7. de Gratia. c. 2. n. 1. l. Amicus hic d. 32. n. 49.* Dicastillo *tr. 8. disp. 1. dub. 1. c. 7. à n. 311.* Pallav. Cum quibus & ego sentio.

Probo Conclusionem 1. Si posset peccatum condonari pro instanti quo committitur, posset Gratia Sanctificans conjungi cum peccato mortali in illo instanti quo committitur, consequenter non admittit Lugo, neque nos, Ergo &c. Deprecatur ex principiis ipsius Lugonis. Vnde causa, quare Gratia Sanctificans non possit conjungi cum peccato habituali (& multo minus cum actuale) secundum Lugo est hæc, quia Gratia, vt habet Tridentinum, est unica & adæquate forma justificans, atqui si posset conjungi cum peccato habituali, non esset forma adæquate justificans, nam tunc quando conjungeretur cum peccato habituali, talis homo adhuc esset inimicus Dei, & invisus Deo, quia peccatum habituale constituitur per negationem condonationis, quoad autem peccatum non est condonatum, bene est inimicus Dei & odio dignus, adeoque non est justus. ergo non habet formam adæquate justificantem: ergo Gratia non esset forma adæquate justificans, sed complenda esset per condonationem contradistinctam à collatione Gratia, si collatio Gratia est separabilis à condonatione, & conjungibilis cum negatione condonationis. Ita Lugo.

& nos cum illo in tract. de Gratia. Sed hinc contra illi subsumitur hoc modo. atqui si homini dum actu peccat condonaretur peccatum, tunc homo non esset inimicus Dei, nec Deo in visus, ut in terminis fateretur Lugo loco cit. ergo si tunc illi conferretur Gratia, non conjungeretur Gratia cum negatione condonationis, nec cum inimicitia: ergo nihil obstat quo minus tunc posset conferri gratia, & sic conjungi cum peccato actuali. Probat hanc ultimam consequentiam. ideo enim non potest Gratia conjungi cum peccato habituali, quia condonatio non potest dari, quando datur peccatum habituale, nam negatio condonationis est pars constitutiva peccati habitualis: atqui per te condonatio potest dari quando datur peccatum actuale: ergo nihil amplius obstat, quo minus possit conferri gratia.

Brevius sic proponitur hoc argumentum. Unica causa, quare Gratia non possit conjungi cum peccato habituali, est hæc: quia talis homo esset simul justus & injustus: justus propter gratiam, injustus propter peccatum habituale: atqui si peccatum actuale posset, dum actu existit, condonari, talis homo non esset injustus aut inimicus, ut docet Lugo: ergo si illi daretur gratia, non sequeretur quod simul esset justus & injustus: ergo nulla esset ratio, cur non posset infundi gratia.

Adhuc aliter hoc ipsum proponi potest. Ideo per te Gratia non potest conjungi cum peccato habituali, quia peccatum habituale includit essentialiter negationem condonationis, Gratia autem non potest conjungi cum negatione condonationis: atqui per te peccatum actuale non includit essentialiter negationem condonationis, quia potest conjungi cum condonatione: ergo etiam potest conjungi cum Gratia.

Respondetis forte, supponendo cum Recentiore Hispano (à qua tamen doctrina procul abest Lugo) Gratiam quæ defacto datur, esse quidem inconjunctibilem cum peccato actuali, esse tamen possibilem aliam Gratiam, quæ quidem etiam sit inconjunctibilis cum peccato habituali, sit tamen conjunctibilis cum peccato actuali. Sed contra. si non est alius modus respondendi, quam confugiendi ad huiusmodi Gratiam, salva res est: nam ego talem possibilem Gratiam non agnosco, quamdiu mihi non ostenderis illud prædicatum primum, ex quo resulteret hoc prædicatum secundum: *posse conjungi, non posse conjungi cum peccato actuali*. Censeo enim argumenta quæ probant, nostram Gratiam non esse conjunctibilem cum peccato actuali, probare de omni possibili Gratia Sanctificante, vel de nulla probare.

924. Probo Conclusionem 2. Tunc non potest dari condonatio, quando non posset poni satisfactio si alioquin illa in se possibilis esset: sed in instanti quo ponitur actu peccatum, esset impossibilis satisfactio, etiam si alioquin possibilis esset: ergo, &c. Major & minor est probanda. Major ergo probatur. quia condonatio est virtualis remissio satisfactionis, & loco illius substitui-

tur. Minor verò probatur, quia Satisfactio includeret retractationem formalem vel virtutalem: hæc autem non est conjunctibilis cum actuali peccato; sicut restitutio non est possibilis pro instanti furti, sed pro sequenti, & ideo non potest remitti pro instanti furti, sed pro sequenti. Ergo sicut satisfactio non potest fieri, nisi transacto peccato, ita condonatio non potest respicere nisi tempus post peccatum commissum.

Probat hanc Conclusionem 3. argumento Card. Pallavicini. Si potest condonatio conjungi cum actuali peccato mortali, sequitur, quod esset, & non esset peccatum mortale. Quod esset mortale, supponitur ab adversariis; quod non esset, probat Pallavicinus, quia essentia peccati mortalis in eo consistit, quod quis voluntarie avertatur à Deo, & propter bonum creatum velit contemnere amicitiam divinam: talis autem homo si sciret sibi jam antecedenter condonatum esse peccatum, etiam hoc ipso sciret, se non incursum inimicitiam Dei: ergo sciret se non peccare mortaliter. Omitto alia argumenta, quæ videri possunt ad longum apud P. Dicastillo, quæ sanè non sunt mera verba multiplicata, ut videtur cuidam Recentiori.

925. Restat solvendum argumentum Card. de Lugo, quo probat, posse peccatum remitti in eodem instanti quo committitur. Probat autem unice à paritate desumpta ex hominibus. Homo potest homini dimittere injuriam antecedenter, antequam ab adversario committatur: ergo etiam Deus potest hoc modo dimittere offensam. Antecedens patet. quia homo potest se obligare alteri, quod nolit pro offensa illi irasci aut petere satisfactionem, &c. 92. Transeat antecedens (cujus falsitatem postea ostendam) nego consequentiam & paritatem. Disparitas duplex est. prima, quia per offensam humanam homo offensus non necessatur ad auferendum ab homine, vel denegandum homini aliquod donum impossibile cum ipsa offensa, tribuens jus ad amorem amicabilem, sicut Deus necessatur ad auferendam vel negandam gratiam pro instanti quo ponitur offensa secundum suam physicam entitatem. Secunda disparitas est, quia homo potest se homini obligare ex justitia, ad non prosequendum illum odio, & ad non exigendam satisfactionem quacunque offensa posita: Deus verò non potest se homini obligare vlllo modo ex Justitia, ut docet ipse Lugo. Quapropter respectu hominis ad æquatum motivum licite aversionis non est sola offensa secundum suam physicam entitatem, sed offensa cum negatione obligationis non habendi odio Petrum propter offensam, sive, quod idem est, offensa cum negatione juris in Petro existentis ad resistendum Paulo offenso ne Satisfactionem exigat. Unde si Paulus se obligasset ad non petendam Satisfactionem, posita deinde offensa non posset eam exigere, quia peccaret contra Justitiam exigendo. Deus verò non potest obligari creatura: ergo

Pppp 2

ejus

ejus jus ad licitum odium & denegandam Gratiā, atque exigendam pœnam, non potest per talem obligationem auferri, & ideo semper manet jus ad odium, & est adequatè identificatum cum ipsa physica entitate offensæ. Verum

Dixi: *Transseat antecedens*: in rei veritate id etiam falsum est. Nam obligatio, quæ se Paulus obligaret Petro ad non habendum odio, nec exigendam satisfactionem, propter offensam, non est (proprie loquendo) condonatio offensæ; quia condonatio injuriæ proprie sumpta est moralis destructio injuriæ seu offensæ: atqui in nostro casu proprie existeret offensæ: ergo non esset condonata, tamen non liceret exigere satisfactionem; hæc enim sunt separabilia, ut omnes faterentur: v.g. qui solvit Usurario usuras cum juramento non repetendi, non potest licitè repetere, & tamen alter tenetur reddere, & non reddendo peccat contra Justitiam.

926. Dices. Potest Paulus antecedenter ad offensam non tantum obligare se ad non petendam satisfactionem, sed etiam potest cedere jure suo quod habet, ne à Petro percutiatur: atqui saltem hæc erit proprie condonatio injuriæ: ergo hoc modo posset etiam Deus antecedenter cedere jure suo. Respondeo negando minorem & suppositum: nam tali casu percussio non esset injuria nec contra Justitiam, quia consentienti, seu nolenti alterum habere obligatum, non fit injuria: hæc ergo cessio non esset remissio aut condonatio (ut male supponunt adversarij) injuriæ, sed esset sublatio partis constitutiæ injuriæ, quia Injuria constituitur intrinsecè per voluntatem alterius obligativam, ut dicam in tr. 1. de Jure & Justitia. Itaque talis cessio Juris non esset sublatio tituli ad offensam, sed potius esset mutatio materiæ, hoc est, faceret, ut id, quod alioquin esset injuria, non esset injuria, sicut facit licentia facta famulo, ut auferat pecunias. Quæstio autem præsens est, an Deus posset remittere offensam pro instanti quo verè existeret offensæ, & hoc negamus fieri posse, & dicimus, quod potius esset rectio seu non imputatio (ut loquuntur hæretici) quam remissio pro instanti quo existit. Potest quidem etiam Deus aliquam actionem alioquin illicitam reddere licitam, dispensando in lege, ut dixi lib. 2. sed hoc non est condonare injuriā, sed est facere, ut objectum quod alioquin esset illicitum, non sit illicitum, & ejus electio esset conformis rationi.

CONTROVERSIA IV.

An Pœnitentia iustificativa sit necessaria ex præcepto naturali.

927. Certissima est omnium Theologorum contra Victoriam sententia, exstare præceptum pœnitentiæ salutaris seu iustificativæ, præscindendo nunc à præcepto naturali & positivo, & etiam præscindendo à Contritione perfecta siue sa-

cramento, & ab attritione cum Sacramento. Et quidem communiter Theologi censent etiam præceptum divinum in Scripturis, quod in Deo indicat necessitatem Pœnitentiæ, excepto Arragâ, qui putat, illis textibus plus non petiti, quam necessitatem mediij. Quidquid sit de præcepto positivo divino

Dicendum est, dari præceptum naturale salutem pro mortis periculo, pœnitendi salutem, & quis sibi conscius est peccati mortalis. Preterea Pœnitentia est necessaria necessitate mediij, saltem ex ordinatione Dei: ergo tenemur lege naturæ hoc medium procurare. Antecedens præceptum est. Consequentia probatur. Nam lege naturæ tenemur procurare ultimum finem ad quem conditi sumus: atqui obligatio ad finem obligat ipso ad media necessaria ad finem: sicut voluntas efficax finis, est hoc ipso voluntas mediiorum necessariorum ad illum: ergo datur obligatio saltem ex charitate erga seipsum procurandi hoc medium, quando & quatenus est necessarium.

Dixi. Saltè ex charitate erga seipsum, quod nolo disputare, an si Deus gratis condonaretur peccatum, adhuc daretur obligatio naturalis ex reverentia & amore erga Deum retractandi peccatum, licet hæc retractatio tunc non esset medium ad iustificationem procurandam.

928. Quæres. 1. Quo sensu dixerit S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 2. Impœnitentiam, peccatum est permanentia in peccato vique ad mortem, non esse speciale peccatum, sed circumstantiam peccati. 2. Aliquos ex hoc loco voluisse concludere, in sententia S. Thomæ voluntatem non pœnitendi vique ad mortem non esse speciale peccatum, distinctum à speciebus carcerum peccatorum: sed malè. Nam eodem loco statim addit, impœnitentiam prout est propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum. Et in 3. q. 84. a. 7. ad 1. & 2. disertè tradit, esse præceptum naturale pœnitendi. Porro veræ sunt interpretationes illius prioris dicti, quomodo sit sola circumstantia aliquorum peccatorum, quæ videri possunt apud Suarez, Lugo, Arragâ Mibi præ omnibus placet interpretatio Lugonis, quam etiam amplectitur Pallavicinus, eo modo permanentiam esse circumstantiam peccati, licet perseverantia in actibus virtutum est meta circumstantia, juxta eundem S. Thomam in 1. 2. 43. a. 3. ad 3. Nempe accipiendo perseverantiam pro actuali continuatione & duritione actus.

929. Quæres. 2. Quo sensu dicatur propositum non pœnitendi esse speciale peccatum, & quidem contra charitatem sui ipsius, quoniam quidem hæc videatur esse malitia generalis, non scilicet omnia peccata mortalia: nam contra charitatem sui, dum hominem non ponunt periculo eternæ damnationis, & obponunt mortem spiritualem animæ, privando gratiâ sanctificante. 2. Dicit esse in hoc præcepto opiniones contrarias, quarum tamen una